



## Capitulum I

### Iason

scisne tu quo modo rex sit? scisne tu  
difficultates regis? eram puer. iam sum  
vir. sum filius regis. pater meus est rex  
Thessaliae. Aeson vocatur. patrem amo.

pater fratrem habet. Pelius vocatur.  
Pelius putat se regem esse. Pelius rex  
falsus est. pater meus est rex verus!

Pelius patrem et omnes filios patris  
petivit. sed Pelius me non petivit. nescio  
cur Pelius me non petiverit. omnes  
fratres meos necavit. sed patrem non  
necavit. nescio cur Pelius patrem non  
necaverit. iam omnes fratres mortui  
sunt. pater et ego non mortui sumus.

Pelius, rex falsus, iussit me iter facere.  
volebat vellus aureum<sup>1</sup> habere. “i Iason!  
scio te regem esse velle. vellus aureum  
inveni! tum rex eris.” Pelius putabat me  
vellus aureum invenire non posse.  
Pelius nolebat me regem esse.

---

<sup>1</sup> golden fleece

iter feci et vellus aureum inveni sed  
quoque aliquid mirabile inveni. amorem  
inveni. haec est fabula amoris. haec est  
fabula de me et amore mea, Medea.